



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

14. Exaltatio S. Crucis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

540 XIV. Septembris. Exaltatæ S. Crucis.

Festum Exaltatæ S. Crucis.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli ! Amice ! magni esse cupimus !
Cupimus inter creaturas exaltari ?
Vitæ incommodis, paupertati, aliisque
ærumnis imperare ? Amplectamur S.
Crucem, quam nostris imposuit hume-
ris providus, misericors Deus. In Cruce
miseria nulla. Sine ea semper maxima.
Qui hic flagellatur, ibi perpetuò latatur.
Abite jam momentanea hominum &
sæculariter viventium gaudia ! Abice-
sum, ubi Crucifixus.

Instructio meritoria.

Adoremus nobile S. Crucis tropæum,
& ut omni veneratione in orbe universo
à piis Christianis honoretur, statim à
manè, & primo excitationis signo ver-
sus quatuor mundi plagas genua flecta-
mus dicentes : *Adoramus te Christe, &*
benedicimus tibi, quia per Crucem tuam
redemisti mundum. Recitemus & Hym-
num ex Vesperis : *Vexilla Regis pro-
deunt.*

II. He-



II.

Heraclius Imperator ovans & triumphans ad proprium locum suis humeris sacram Crucem à Choſroa reportatam portare gestiebat. At urbem ingredi non potuit. Prius purpuram, coronam, & calceamenta deponere debuit. Humilitas in servis placet cœlorum Regi. Et hæc virtus nunquid & nobis possibilis? Humilitate quid dicitur? Quid pretiosius? Hac regnum cœlorum emitur. S. Bern.

Inſtructio meritoria.

Superbiunt non raro & nostra capita! Ideò non mirum, quod nondum in nobis transformatus sit Christus, & hic Crucifixus. Ut nos tandem humiliemus, nostrasque voluntates submittamus, omnes preces, adorationes Venerabilis Sacramenti, vel alias devotiones in Ecclesia inclinato exemplariter versus terram capite, ac submissis oculis instituamus oraturi pro opportuniori occasione officium minus de S. Cruce. Jesus pendet in Cruce! Et homo incedat elata cervice?

142 XIV. Septembris. Exaltatæ S. Crucis.

III.

Chare! ad Calvariaæ montem ascen-
dere cupimus? Nudis pedibus, &
pœnitentiæ operibus eò eluctemur, ut
Heraclius. Cum Cruce Domini non
stant affectus pravi, passiones, aut turbi-
dæ propensiones. Nudi simus, necesse
est, si divitias, & gloriam Jesu rapere
& capere desideremus. O beatos pau-
peres spiritu! *Quanta enim beatitudo!*
pro parvis magna recipere, æterna pro
brevibus, pro morituris semper viven-
tia, & habere Deum debitorem? S.
Hier.

Instructio meritoria.

Dicamus igitur cum D. Paulo : Mili-
autem absit gloriari nisi in Cruce, in pau-
pertate, humilitate, & obedientia Do-
mini Nostri Jesu Christi! Quibus virtu-
tibus ut ad coelum usque tertium exalte-
mur, per octo dies quotidie coram Cru-
cifixo genuflectamus, & quinque Pat-
& Ave, in honorem quinque SS. Stig-
matum Jesu recitemus. Cum Jesu! cum
Cruce Domini! cætera nihil ad nos.